



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig
Salisburgi, 1693

29. De Clerico per saltum promotio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

communem errorem: quia auctoritas Ecclesiastica, & generaliter humana tantum supplet defectus requisitorum ex jure humano dependentium, quibus requisita statuere aut tollere in ipso est potestate. arg. text. in l. Barbarius. 3. ff. de Officio prae. ibi: verum puto nihil eorum reprobari, cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem. secus ergo, ubi non potuisset decernere, ut circa defectum juris naturalis aut divini. Vid. etiam dicta superius de Presby. non baptiz. n. 3. & 4.

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promotio.

Per saltum promotus dicitur, qui omisso Ordine medio ad superiorem ascendit, v. g. qui omisso Diaconatu ordinatus est Presbyter.

Quamvis autem aliqui existiment, taliter promotum esse absolute irregularem, magis tamen inter DD. convenit, esse tantum ipso jure suspensum, & quidem solummodo quoad illum Ordinem per saltum susceptum, & irregularem tunc primum, si in hoc Ordine suscepto, vel in illo, quem suscipere omisit. ministraverit, sicut tradit Barbosa in Collect. DD. ad c. unic. hoc tit.

Præterea hodie ex Concilio Trid. sess. 23. de Reform. c. 14. in fine. concessum est Episcopis, ut cum promotis per saltum dispensare possint, nisi, ut præmissum ministraverint, adeoque insuper irregulares facti sint, quo casu Episcopi non aliter dispensare poterunt, quam si delictum suscepta per saltum Ordinationis occultum fuerit, juxta Trident. sess. 24. de Refor. c. 6.

TITULUS XXX.

De Eo, qui Ordinem furtive suscepit.

Ordines furtive suscipere dicitur, qui absque consensu Episcopi in numerum ordinandorum se ingerit, veluti si subterfugerit examen, & nihilominus in ordinatione comparuerit, vel eadem die præter minores Ordines etiam Subdiaconatum, vel duos sacros Ordines acceperit.

Pœna hujus delicti est, quod taliter ordinatus non habeat executionem Ordinis furtive suscepti, & insuper inhabilis reddatur ad superiores Ordines suscipiendos.

Competit tamen Episcopo dispensatio in duobus casibus 1. Si furtiva Ordinum susceptio non prius fuerit ab ordinante sub excommunicatione prohibita, 2. Si ordinatus Monasterium ingrediatur, & ibi aliquamdiu laudabiliter vivat, quo posteriori casu non tantum Episcopo, sed etiam Abbati dispensare conditur. Text. & DD. communiter in c. 1. 2. & 3. h. t.

Admittitur quoque in c. 2. h. t. consuetudo, si qua sit, ut eadem die minores Ordines cum Subdiaconatu suscipiantur, idque per Concilium Trid. sess. 23. de Ref. c. 11. annale interstitium requirens non fuisse correctum, sive tali consuetudini derogatum, docent multi graves DD. cum Barb. in Collect. ad d. c. 2. h. t. n. 2. 66.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum & Subditorum.

SUMMARIUM.

1. Prælati prohibentur exactiones iniquæ.

000 000 3

2. Epi-